



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 7. Pœnitentia usque ad mortem non differenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

November. fide, non irem, si de moribus loquamur. Lata, magisque trita via est, quæ ad interitum ducit; itaque ea vitanda. Illa, quam à paucioribus tibi conspicias, ea est, quam terere debes, si æternam felicitatem adipisci cupis; idcirco, quòd hæc eò te ducat.

*Annon à torrente abripi te sinis? an non aliorum exempla ad delicta tua comprobanda apud te prevalent? statue contrarium sequi, secundum Evangelium vivere, & non secundum consuetudinem; idque agere, quod pauci agunt, si particeps esse cupis felicitatis, quam pauci possidebunt.*

Multi sunt vocati; pauci verò electi.  
Matth. 20. 16.

Esto de numero paucorum, si vis esse de numero Salvandorum. Aug.

---

DIES VII.

Pœnitentia Ad Usque Mortem  
non differenda.

I.

**P**OENITENTIAM agere oportet; hoc non diffiteris: fides te docet, peccatorem sine pœnitentia salutem consequi non posse, & te peccatorem esse nôsti; id si è superbia inficias ires, conscientia propria  
men-



mendacij te argueret. Verum pœnitentiam nunc agendam ad mortem usque differre cupis: cur tamdiu? non nimis citò fieri potest, quod fieri necessariò debet, saltem nisi perire velis. Si pœnitentiam ad mortem usque agere tergiversaris, quis tibi pollicitus est, tantum temporis in illo articulo tibi concessum iri? solus Deus, qui illius est Dominus, id tibi spondere potest. An is hoc tibi promisit? an non contrarium tibi comminatur? tot homines quotidie derepente moriuntur, qui eadem spe, quâ tu, nitebantur, tibi que moriendo dicunt: *hodie mihi, cras tibi.* Quod mihi hodie contingit, cras tibi contingere potest: id si fiat, quid de te erit? *Cogita, quòd de anima deliberas.* Anne tecum repuras, de salute tua agi, nempe de felicitate, vel infelicitate sempiterna? & tu tanti momenti negotium incertæ aleæ committis, tu, qui tam cautè, & securè in rebus nihili agis?

Chrysoff.

II. Verum, si certò tibi constaret, tempus tibi non defuturum, neque subita te morte obiturum, forésne in mortis articulo capax de agenda pœnitentia cogitandi, possésne tibi polliceri, te necessariam animi libertatem habiturum, negotio tam difficili seriò vacandi? homo, cujus corpus violento malo obrutum, cujus sensus sopiti,



November.

cujus omnes potentia fractæ sunt, cujus anima debilitata est, quia corpori affixa; homo qui affligitur ob crudelem hanc separationem ab omnibus iis, quæ ardentissimè, tenerrimèque amavit, qui mille rebus funestis, quæ ejus menti obversantur, divexatur, & intuitu propinquæ, & incertæ æternitatis terretur; homo, inquam, in hoc statu, in quo minimis negotijs, quæ animi quandam contentionem exigunt, impendere se non potest; an impendere se poterit, negotio tanti momenti, juxta ac difficili, quanti est bona confessio, cum vero de peccatis commissis dolore, sinceròque proposito, se posthac emendandi conjuncta? Hemicrania paulò vehementior incapacem te reddit confessionis ab octiduo instituendæ; & dolores mortis sat tibi libertatis concedent, confessionis obeundæ, à qua tota pender æternitas?

III. At licet Spiritus libertas tibi superpeteret, habebisne libertatem cordis, eamque à peccato aversionem, quæ ad pœnitentiam requiritur? Itaque fugere peccatum debes, & neququam expectare, dum peccatum te fugiat. Ad pœnitentiam agendam exigitur, ut peccator super omnia amet id, quod vel super omnia odit, vel contempnit; nempe Deum suum, animam suam,



suam, salutem suam, bona æterna; & extremum odium, atque contemptum concipiat in ea, quæ summè dilexit, nempe in mundum, carnem, & illicitas voluptates. Exigitur, ut homo avarus, libidinosus, iracundus, superbus, fiat humilis, castus, mansuetus, bonorum caducorum neglector; anne hoc intra momentum fieri? anne animus mutari, ut vestis, potest? hoc sane absque miraculo gratiæ fieri nequit. An verò sine horrenda temeritate salutem nostram spei alicujus miraculi credere possumus? Sacræ Paginæ nullius meminerunt, excepto bono latrone, qui in morte ad bonam frugem se receperit. Hoc prodigium fuit, ad quod patrandum opus fuit Deo, præsentem, & morientem.

*Statue ex hoc momento morum emendationi studere; id enim si differas, nec tempore, nec voluntate tua, nec gratiã niti potes.*

Vocavi: & renuistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo. *Prov. 1. 24. & 26.*

Remedia Conversionis nullis cunctationibus differenda sunt, ne tempus correctionis pereat tarditate. *Aug.*

DIES